



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XVII. Obiectionibus contra discursum factum satisfit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

est hoc nodum expedire, sed impedire magis ac religare; quomodo enim voluntas inchoabit prædeterminationem, quam ipsa non facit? Aut quomodo facit ut Deus inchoet prædeterminationem quæ est simul tempore, si Deus in omni genere causa prius ordine naturæ & causalitatis prædeterminationem iam fecisse supponatur? Aut denique quomodo illa duo non inuoluunt repugnantiam inchoationem eius, nullo modo potest inchoari ab ipsa, præsertim cum iuxta hos auctores ipsa prædeterminatio Dei sit principium omnis actionis voluntatis, & omnis inchoationis eius. Denique ut euoluamus ea, quæ tam inuoluntè sunt dicta, distinguamus prædeterminationem in actu primo, de qua tractamus, à determinatione in actu secundo. Priorem enim facit Deus solus iuxta dictam sententiam, & illam non potest inchoare voluntas; illa verò supposita potest voluntas inchoare determinationem in actu secundo, quæ nullo modo potest dici prædeterminatio, quia nō solum non præcedit priorem prædeterminationem, verum etiam nec concursum simultaneum Dei. Neq; etiam ratione huius inchoationis determinationis in actu secundo potest dici voluntas inchoare prædeterminationem naturæ antecedentem, cum nullo modo sit causa illius sed effectus, ac proinde nec ratione eiusdem determinationis, vel inchoationis potest dici voluntas habere in potestate sua prædeterminationem à Deo præstandam, cum illam expectare debeat, ut inchoare suam actionem possit. Quæ quidem omnia non animo contradicendi à me dicuntur, sed ut res, si fieri possit, intelligatur: quoniam à multis annis hac opprimor difficultate, & summo affectu intelligendi, vel inueniendi aliquem illius exitum hos & alios auctores euolui, & omnia eorum responsa medicatus sum, nihilq; inueni, quod vel apparet, aut verisimiliter repugnantiam illam mihi componeret, & ideo non timui molestus esse lectori omnes prædictos dicendi modos enumerando, & si quis alius superest, vel excogitari potest, in sequenti cap. illum attingemus, nulla enim diligentia superuacanea censenda est, quia ex hoc puncto magna ex parte verum iudicium præsentis controuersie pendet, & in illo grauissima dogmata fidei concutiuntur, quæ non solum inconcussa retinere, sed etiam pro viribus explicare, & eorum rationem reddere tenemur.

CAPVT XVII.

Obiectionibus contra discursum factum
latiss.

1. **S**olent nobis obieci instantiæ quædam quibus vis rationis factæ enteruari videtur. Nam electio, seu prædestinatio ita est ad salutem necessaria ut sine illa comparari non possit, & illa non est in manu hominis, sed ex sola voluntate Dei pendet, & nihilominus habet homo auxilium sufficiens, quo simpliciter potest saluari. Idem argumentum sumitur ex prædestinatione singulorum actuum supernaturalium, nam sine illa esse non possunt, & nihilominus homo est liber & habet auxilium sufficiens ad actus à Deo non prædefinitos faciendos, cum tamen talis præfinitio in potestate hominis non sit, item vocatio congrua est necessaria ad supernaturalem actum, ita ut sine illa nunquam fiat, & talis est ut non sit in potestate hominis, non est e-

nim (vt Augustinus dixit) in potestate nostra ut his vel illis visis tangamur, & nihilominus qui non congruenter vocantur sufficienter vocantur, ut absolute possint venire si velint teste Augustino quæst. 2. ad Simplician. & quæst. 68. & 83. ergo. Item qui de facto non conuertuntur non habent in tempore auxilium efficax ad conuersionem, ergo Deus ab æterno decreuit non dare illis auxilium efficax, ergo ex decreto absoluto Dei carent aliquo auxilio necessario ad conuersionem, & nihilominus habent auxilium sufficiens, & simpliciter possunt conuerti, ergo illa consecutio non est formalis, nec habet maiorem efficaciam in auxilio prædeterminante quàm in his omnibus. Nam in his omnibus necesse est distinguere inter necessarium ad agendum, & ad potestatem agendi ut priori deficientes, & negato possit subsistere secundum, ergo idem in prædeterminante auxilio locum habet.

Ad hæc primum in generali dicimus exempla soluta non esse de auxilio aliquo natura sua necessario ad operationem, & ideo non esse similia, quod insequentibus latius per singula capita explicandum erit, nunc autem breuiter singula perstringemus ne lector dubius, vel suspensus maneat. Electio igitur, prædestinatio & præfinitio nō sunt auxilia vt in 3. prolegom. dixi, sed sunt actus immanentes in Deo, quos necesse non est per se & immediate esse principia operationum, & ideo licet admittamus illos fuisse in Deo ex parte ipsius ad meliorem prouidentiam modum necessarios, nihilominus possunt homini dari sufficientia auxilia ad salutem non solum remota, sed etiam proxima. Eo vel maxime quod etiam illi actus non sunt in Deo sine aliquo ordine ad futurum vsum libertatis cum auxilio concomitante gratiæ præter præiudicium à Deo pet scientiam saltem conditionatam, vt in 1. & 2. prolegomeno tactum est, & in sequentibus sapientius dicetur. Qui ordo non est contra gratuitam electionem aut prædestinationem, nec contra voluntariam prædefinitionem, quia non est habitudo ad illum vsum libertatis futurum tanquam ad causam seu rationem illorum actuum, sed tanquam ad effectum mediis auxiliis congruentibus, quæ vsum libertatis non impediunt, sed dirigunt.

Vnde ad tertium de vocatione congrua dicimus imprimis illam esse necessariam non ex natura rei, sed supposita præscientia futuri euentus sub conditione, & ideo de illa rectè dici esse necessariam ad actionem, non ad potestatem quia nec ad actionem necessaria est per se, sed supposita tali scientia. Deinde dicimus in vocatione congrua duo esse distinguenda, scilicet, auxilium quod est principium actus, & congruitatem ad futurum consensum ratione primi dat potestatem agendi, & in illo consistit sufficientia, quæ potest esse æqualis in auxilio non congruo: congruitas verò non auget virtutem auxilij, vt infra ostendetur, sed est necessaria ad infallibilitatem effectus, & ideo sine illa potest optimè dari auxilium sufficiens. Vnde tandem dicitur in potestate hominis sufficienter vocati esse facere ut vocatio eius congrua sit, & ideo licet de facto illi non sit congrua illi imputari, quia auxilium sufficiens habuit. Vnde est illud Augustini quæst. 2. ad Simplician. Nolut Esau, & non cucurrit, nam si voluisset, & concurrisset Dei adiutorio peruenisset; qui etiam vellet, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret. Fuit ergo in potestate Esau aliquid. Et ad idem pertinet quod dicta quæst. 68. & 83. de vocatis ad conuersionem dicit. Nec omnes illi qui vocati sunt venire voluerunt, nec illi qui venerunt venire possent nisi vocarentur, id est, quæ nec illi debent sibi retribuere quod venerunt, quia vocati venerunt; nec illi qui noluerunt venire debent alteri retribuere, sed tantum sibi, quoniam vt venirent vocati sunt.

est in eorum libera voluntate. Ergo in eadem voluntate erat facere aliquid, quo vocatio in eis esset congrua, non fuit tamen in voluntate eorum facere ut prædeterminarentur.

Et hinc etiam facilis est responsio ad ultimam instantiam, nam is qui post sufficientem vocationem non consentit seu operatur, non caret aliquo principio supernaturali ad operationem, sed tantum concursu simultaneo, cuius carentia non est ex parte Dei, sed ex parte liberi arbitrij, nam Deus ex se paratus est, & offert illum concursum homini vocato; ipse autem homo non vult influxum ex parte liberi arbitrij necessariam adhibere, & ideo & actuali concursu & operatione caret, quod in auxilio prædeterminante locum non habet, ut satis probatum est. Non ergo rectè existimant alij auctores eandem esse difficultatem de auxilio simultaneo in operatione imbibito, & de prædeterminatione, cum differentia sit notissima: nam auxilium simultaneum non fit sine co-operatione liberi arbitrij, & ideo potest impediri per voluntatem hominis liberè non adhibentis suam concausationem, ut sic dicam, prædeterminatio autem est à solo Deo, & præcedit ordine naturæ, & causalitatis omnem influxum liberi arbitrij, quia nec illius preparationem, seu dispositionem, nec concausationem requirit, imò est causa influxus eius, & ideo non habet, unde sit in potestate liberi arbitrij.

Instat vtrò Ledesma, quia etiam auxilium physicum intus imbibitum in ipsa operatione est causa effectiva ipsius operationis, ergo est prius natura quam illa & præiudicium ad illam. Et è contrario etiam auxilium prædeterminans tenet se ex parte actus, & non ex parte principij, ergo est eadem difficultas. Respondetur vtramque partem antecedentis falsam esse, & contra dicta eiusdem argumentis in alijs locis, nam auxilium imbibitum in ipsa actione non potest esse causa actionis voluntatis, cum sit idem indubitanter cum ipsa: unde quidam eiusdem ordinis Theologus, & prædeterminationis defensor dixit non obstante subordinatione ad causam primam simul natura attingi effectum, & actionem à causa prima, & secunda. Ridelicet quod est asserere quod Deus prius natura faciat meam visionem quam ego, aut quod prius natura faciat meum consensum quam mea voluntas, esto à voluntate non fiat nisi cum subordinatione ad primam causam. De auxilio autem prædeterminante si deur satis per se patet esse omnino prius causalitate & natura, supraque de concursu præiudicium satis ostensum est præcedere per modum principij, vel complementi eius, quod multo est evidenti in auxilio prædeterminante, quod non tantum ponitur ob generalem concursum, sed ut det vires voluntati ut declaratum est.

CAP V T XVIII.

Utrum possibile sit auxilium efficax physice prædeterminans voluntatem in actu primo (alio libero) in eadem voluntate in eodem actu secundo, ac subinde an libertas quo ad exercitium in actu voluntatis simul possit cum auxilio physice & in actu primo prædeterminante voluntatem concordari.

Nonnulli ex Theologis qui negant auxilium prædeterminans in actu primo esse necessarium ad omnia opera pietatis, licet confitentur.

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

quenter regent in illo consistere adæquate auxilium efficax, nihilominus fatentur interdum dare Deum auxilium efficax per hunc modum prædeterminationis, quia est consentaneus omnipotentia Dei, & efficacia diuinæ voluntatis, & non repugnat apertè libertati. Primum, quia illa motio tantum inducet necessitatem in sensu composito, quæ non repugnat libertati. Secundò, quia Deus sapientia sua infinita nouit vnamquamque causam secundam mouere fortiter, & suauiter, fortiter ut efficeret faciat illam facere, & suauiter ut modo illi consentaneo illam operari faciat, ac subinde liberè si libera sit, licet nos fortasse modum illum operandi Dei non assequamur. Tertio argumentantur exemplis vtriusque actibus prædefinitis seu prædestinatis, aut electorum. Præsertim verò in actibus voluntatis Christi, in subitaneis conuersionibus ut Pauli, & in confirmatis in gratia.

Hanc sententiam refert P. Aluar. disput. 91. nu. 5. & in margine citatur P. Lorca, sed ille in alio sensu loquutus est ut cap. 13. declarabo. Eandem opinionem tribuit Ledesma F. Ioanni Vincent. in artic. 1. & in principio questionis refert aliquos dixisse auxilium prædeterminans dari prædestinatis ut infallibiliter operentur, nam ille modus operandi est necessarius ad certitudinem antecedentem prædeterminationis: reprobis verò ad bene operandum non dari, quia in illis non est necessaria illa infallibilitas antecedens. Refert item alios dixisse hoc auxilium prædeterminans dari in natura lapsa, non verò datum fuisse Angelis Sanctis, neque etiam Adamo fuisse necessarium in statu innocentia. Qui omnes dicendi modi supponunt hoc auxilium esse possibile salua libertate, esto non sit per se necessarium, & hanc opinionem ferre ante triginta annos in quibusdam solemnibus disputationibus cuiusdam insignis collegij D. Thomæ Aquinatis vidi publicè defendi. Et videtur illam inlinuare Card. Tolet. ad Rom. 11. notat. 4. dicens. Augustinus existimat totum esse gratia, quia facit hominem cooperari, & determinat arbitrium hominis, quia dat ut velle possit, & facit velle. Existimo tamen non semper id esse, sed sepe inueni hominem ut velle & operari possit, quod tamen velit, & operetur hominis est faciens quod est in se, quamuis non sine adiuvante gratia. vbi dicens, existimo non semper id esse, significat aliquando id esse, & quod difficilius est, sentit secundum Augustinum semper ita esse quod postea videbimus.

Nihilominus dico auxilium, motionem, qualitatem, ante entitatem inditam voluntati ex sola efficientia Dei sine concursu libero effectiuo voluntatis, & ex se prædeterminans illam simpliciter seu physice in actu primo ad eliciendum actum secundum, omnino repugnare cum libertate eiusdem actus, & hoc modo esse impossibilem. Hanc sententiam traiaui in opusculis, & in Metaphysica, & in prima parte, illamque censio communem Theologorum: Quia verò de hoc etiam est controuersia sciendum est questionem hanc cepisse in Hispania ante annos 40. distinet, & in proprijs terminis in scholis agitari, & præsertim in Salamanticensi, de qua possum tanquam ocularis testis deponere: ex libris vero postea editis intelligimus eandem controuersiam in alijs etiam prouincijs, & regionibus ortam esse, & paulatim adeo creuisse ut oportuerit Apostolicam se dem modum in hac disputatione seruandum præscribere. De auctoribus ergo qui ante hanc ortam sententiam scripserunt dicam, postea, quia magis labrica esse potest eorum sententia, eo quod non tam clarè neque eiusdem verbis, quæ nunc vsurpantur, rem disputantur, solum ergo hic adnotabo aliquos qui post illa tempora scripserunt, & in primis satis. orum plures ex Theolo-